




TYROCINIVM CHYMICVM

E NATVRAE FONTE ET MANVALI EXPERIENTIA DEPROMPTVM, AVTORE

eo

Qui se suaq; Deo ter Opt. Max libat deuouetque.



COLONIAE
Apud Antonium Boëtzerum.
ANNO M.DC.XI.


B
BIBLIOT
P
IMPÉRIAL
DU,
PANTHEON



EPIGRAMMA AD BEneuolum Lectorem.

Qvisquis es ô lector nostro tu parce labori,
Quæ sunt dicta modo, dicta fuere prius:
Et quæcunque meo paruo sunt scripta libello
Vt mea non mea sunt, sic tua non tua sunt.



PARACELSVS LIBRO DE TINCTVRA PHYSICORVM

CAPVT I.




ISCENDAE primùm digestiones, destillationes, sublimationes, reuerberationes, extractiones, solutiones, coagulationes, fermentationes, fixationes, & omne quod ad opus hoc instrumentũ requiritur, cognoscendum est vsu, prout vitra, cucurbitæ, circulatoria, vasa Hermetis, terrea vasa, balnea, furni ventales, reuerberatorij, similesque alij, nec nõ & marmor, carbones atque tenacula. Sic demũ in Alchymia, medicinaque proficere poteris. Quamdiu autem per phantasiam & opinionem fictitijs tuis libellis adhęresces, ad horum nullum aptus & prædestinatus eris.

TYRO-



TYROCINIVM CHYMICVM.

ALCHYMIA.



EST ars quæ purum ab impuro separare docet. Vel ars perficiendi magisteria, & essẽtias puras è mistis corporibus segregandi. Alchymiæ duę sunt species, Altera quæ Pyrotechnia siue igniaria ars resolutoria, purificatoria & trãsmutatoria metallorum, quam hic silentio prætermitto.

Alia quæ spiritus subtilissimos ex metallis, gemmis, plantisque educit: quo subtiliora, eo puriora, quo puriora, eo efficaciora remedia præbens: metalla depurat, segregat, perficit, aurum induratissimũ dissoluit, metalla per infirmitatem vegetabilium vexat, tincturas à sub

iectis disiungit, finitam naturã exaltat in infinitum, lapides conflat, aquam elicit, ignem vegetat, & in igne vegetato ac quasi perennato specimen edit artis & efficacitatis suæ in humana vita proroganda. In hac nihil mechanicum præter ipsam operationem & igniariam illam applicationem. Theoricam verò siue speculationem artis, ipsius Physiologię in remotis latebris latentem, æque ingenuam, æque sciẽtificam esse natura sua certum est, quam sit Physica, cuius est portio nõ ignobilis, aut Medicina cui subseruit & ancillatur. Huius enim cõtemplatio sola cognitis principijs, tam excelsa, tam vtilis, tam iucunda est, vt in admirationem Dei maximam rapiat hominem, & omnium quæ vulgò pretiosa & rara habentur, contemptum inducat. Ab hac remotissimi sunt scelerati fumiuenduli, ciniflones & flatuarij, qui etsi temerè nimis pro Philosophis, haberi & dici non erubescãt, meri tamen fuliginosi, mechanici

atque

atque impostores habendi. Sed qui causas & præcepta artis norût, quibus freti, effectum sibi pollicentur optatum, ij, etsi manum ingenio, & operationem speculationi adiungant, non mechanici, sed Philosophi dicendi. Operatio enim illa & manuũ auxilium accidentaria sunt scientiæ, vt in Medico & Chyrurgo satis est manifestum.

Exordium hæc ars habet à natura, quam imitari industria primi studuerunt artifices. Et quamuis in Metallurgia olim sicut & nunc plurimum valuerit, finis tamen præcipuus is fuit, vt Medicinæ ministraret, & tam è mineralibus quam vegetalibus & animalibus, ad vsus humanos & salutem defendendam remedia erueret saluberrima sicut & ornamenta vitæ conferret plurima.

Descriptionem fornacũ, vasorũ, diuersæque supellectilis Chymicę, sicut & igniũ diuersorum regimina silentio prętereo, cum hæc vsu rerũ magis, quam præceptis valeant, & eius-

& eiuſmodi ſint quædam vt oculos manuumq; nõ verba poſtulẽt: ideò ad terminos arti proprios explanandos accedo.

Fermentatio.

Eſt exaltatio rei in ſubſtantia, per quam mediante digeſtione, calor agens exuperat, inque ſuam naturam vertit patiens. Hac Chymicus naturæ imitator ijſdem aut ſimilibus modis vtitur ad reſolutionem corporum quibus natura ad compoſitionẽ: & vt natura per gradus ignis aſcendit à minimo ad vltimum donec ad perfectionem deuenerit, ſic ars in deſtruendo. Sed quia ars ea quæ naturæ nobis facta exhibet, magis perficit, ſeparando purum ab impuro, & ea reducendo ad naturam magis agẽtem reſoluẽdo in liquorẽ, ideo fermentationẽ inuenit, quæ res omnes ad ſummũ perfectionis gradum adducit: & cũ ad eum gradum aſcenderint, altius ſublimari & exaltari non poſſunt, ſic fermentata omnia corpora eleuan-

tiantur & ebulliunt, quasi natura per illud signum ebullitionis & eleuationis ostendere velit perfectionem purioris substantiæ corporum compositorum. Huius effectus est vt quod est interius fiat exterius, vtpotè dulcedo conuertatur in aciditatē & contra aciditas in dulcedinem insipidam similem aquæ communi.

Fermentantur autem liquida expressa aquea ex vuis, piris, pomis &c. Et id per se sine additione rei externæ: & cum additione ad accelerationem ebullitionis. Aut dura corpora & composita (comminuta tamen) vt semina, triticum, fœniculum, anisum, Baccæ iuniperi, radices, aromata &c. sed cum additione aquæ, & ad accelerationem additur sal proprius vel analogus vel aciditas, vel fœces cereuisiæ vel vini, ita vt ad dolium addatur pinta fœcum.

Fermentatio etiam fit cum additione aquæ, salis & aciditatis ex sapa, melle, saccharo, vuis passis &c.

His addantur pro vna libra materię quinque aquæ: ſtent in calore moderato per diem naturalem, deinde bulliant ſimul & deſpumentur, tertia pars exhaletur, vel imponatur ouum recēs cum bullit liquor, ſi ſurſum aſcenderit, ſignum erit perfectæ coctionis. Tum liquore ab igne ablato calidè per duplicem pannum traijciatur & ad ſolem in vaſe idoneo ponatur additis ſuper 30. pintas dragmis duabus ſalis tartari vel ſalis communis vel vnciâ vna aciditatis cuiuslibet, & ſic bulliat per 40. dies aut circiter donec liquor ſit clarus & odorem vini referat. Tum vas clauditur & in cella vſui reſeruatur.

Putrefactio.

Eſt miſti reſolutio per putredinem naturalem in calido humido. Si res putreſcenda humore abundat, comminuta in illo ipſo ſinitur & ponitur ad digeſtionem ſimi vel eius vicarij calidam: ſin ipſa per ſe humoris actualis parũ aut nihil habet, teritur & proportionali humore con-

re conspergitur, inque suo vase ad putrescendum locatur. Herbæ recentes contusæ & suo succo madidæ, è quibus destillatione elicienda essentia est, macerantur triduo, Siccæ vino resperſæ, septendio, semina & aromata, dimidium mensem: Radices per mensem, siquidē sunt siccæ, Mineralia per mensem Phylosophicum qui est dierum 40. aut etiam diutius pro firmitate & ratione menstrui. Non quod certus semper dari possit in his operationibus numerus dierum, cum & res & artifex & ministerium sint inæqualia. Itaque industriæ relinquitur artificis & experientiæ.

Digestio.

Est gradus spagyricus similis ventriculo per quem gradum materia coquitur melius vt puri ab impuro separatio fieri possit. Id enim est digerere ad modum digestionis naturalis ciborum in ventriculo competente cuiuis calore concoquere, & dispositum ad vim exerendā reddere. Digestio enim spissos

humores subtiliat, aquositatem restantem in succis concoquit, acerbitatem mitigat, opaca illustrat, ita vt intractabilia digerendo euadant operibus apta & mitiora: & si quid inest semicoctum, perducatur ad partium absolutarum conditionẽ, vt postea eo sit abundantior essentiæ messis. Immitis enim pars seu succus quasi edomatur, vt mitis fiat & non tantum essentiam augeat, sed & facilè abstrahi à fœcibus inertibus possit. Alio nomine etiam Maceratio apellatur: nam Maceratio quandam vim habet penetrãdi, reserandi, & ab impuritatibus liberandi.

Menstruum.

A mense liquor putrefactionis menstruum nuncupatur, estque vel proprius humor cuiusque vel alius analogus, & sepenumero aqua.

Destillatio.

Est prolectatio qua essentia extrahitur forma liquoris, fitq; separatio tenuium spirituũ à crassiorib. partibus, idq; fit vel per ascensum, vel

vel per inclinationem, vel descensum, & hæc quidem per diuersa vasa & fornaces, vt per cucurbitam rectam siue alembicum vitreum, vel figulinum, per vesicam æneam, per retortam vitream vel figulinã. Cæterum à fornacibus & instrumentis destillatio nomina accipit varia: vt *destillatio* per B. per ventrem equinum, per cineres, arenam, campanam, reuerberium &c. Destillatio per B. & fimum equinum, conuenit rebus leuioris *compagis*, vt herbis & liquoribus. Cauendum tamen in herbis maximè calidis vt in Abscinthio, saluia, rorismarino &c. ne nimis leui calore vtamur, & non tam essentiã quam flegma inutile eleuemus. Sed in lactuca, endiuia & similibus tenuioris substantiæ vtendũ calore moderato. Destillatio per cineres vel arenam conuenit rebus consistentiæ firmioris vt seminibus, lignis, radicibus. &c. Per vesicã autẽ destillantur non tenuia tantum, sed & firmiora præmacerata tamẽ in suo menstruo.

Destillatio per retortam etiam interdum per descensum dicitur, quod parua fiat eleuatio, indeque mox deorsum reflexio. Inuẽta propterea est vt spiritus grauiores è mineralibus elici possent; postea tamen accommodata et à tenuioribus est; vt lignis, seminibus, radicibus, gummis, resinis &c. è quibus oleum elicitur.

Notandum, in omni destillatione iustus modus non excedendus, aut vas nimis implendum: tutius erit ex tertia parte vel ad summum media cucurbitas & retortas replere, vesicam verò æneam ex tribus partibus.

Res flatulentæ vt cera resina &c. & quæ facilè ebulliunt & ad summum exundant, minore imponuntur quantitate, & magnis vasis sunt destillandæ, idque cum additamẽtis, veluti arena, sale & similibus.

Cohobatio.

Est id quod prolectum est per destillationem reddere capiti mortuo, id

tuo, id est fæcibus in imo vasis remanentibus. Id cum fit plerumque teritur fex & humore imbibitur paulatim, vnaque maceratur.

Spiritus.

Est aqua soluens è re simplici & acri producta cum ignei halitus natura. Potissima eius pars est halitus igneus, mistus tamen parte vaporosa. Itaq; & consistentiam obtinet aqueam. In tali substãtia specificam vim rei gerit. Spiritus ambigit inter aquam & oleum & accedit ad liquorem. Itaq; etiã oleũ vocatur p̃sertim in mineralibus: Et spiritus quidam sunt oleosiores quidam aquosiores. Inter spiritus animalium excellit spiritus sanguinis humani: vegetabilium spiritus vini; mineralium, spiritus vitrioli, vnde & in medicina eorum vsus est plurimus in obstructionibus expediẽdis, crassisq; & viscidis incidendis, spiritibus subtiliandis & his maximè vtimur cũ penetrare volumus, & vim medicam citò procurare, iudicio tamẽ peritorũ,

suo

Sunt autem penè omnes ſpiritus minerales ex igneis ac rebus halabilibus, ignium vi maximè per retortam euocati, nonnulli etiam recta eleuantur.

Circulatio.

Eſt liquoris puri per circularem ſolutionem in Pelicano agente calore exaltatio. Ita fit. Pelicanus ſeu vas ad eius imitationem factum impletur liquore extracto attenuabili, ita vt 4. aut 5. vitri partes ſint vacuæ. Ponitur in fimo vel B. ad altitudinem liquoris vel paulo plus ita vt reliqua pars vaſis extet in aëre frigidiore, vt ibi fiat attenuatio, hic coagulatio. Ita finitur donec quæſita exaltatio reſpondeat voto. Si quid impuri aut feculenti adhuc in liquore fuit, id ſolet ad fundum ſubſidere. In hac operatione calor debet eſſe moderatus & continuus.

Furratio.

Fit in humidis è quibus aquoſitas tenuis tranſit, remanentibus ſpiſſis & oleoſis. Fit autem vel per

cartam emporeticam quæ conuo-luitur aut complicatur, postea liquor infusus sinitur paulatim in excipulum destillari: vnde & hæc operatio destillatio per filtrum dicitur. Fit etiam per fimbriam laneã attrahentem liquorem à vase superiori ad inferius. Hac operatione maximè segregant purum ab impuro factis putrefactionibus. Cæterum pro filtro multa alia excogitauit industria. Suut qui per manicam Hypocratis percolant: alij per pannum cottoneum vel laneũ aut lineum, nonnunquam per setaceum & alijs modis prout res exigunt ad nutum operantis

Deliquium.

Est liquatio concreti, quæ fit insinuante se humiditate externa & siccitatem resoluente, vt fluat. Ita resolutum quod est, liquor vocatur & consistentiam habet aqueam. Ita salia repurgata maximè resoluuntur in humido.

Alkali.

Eſt ſal extractum ex cinere ſiue calce omnium corporum, idque ſiue ſint liquidæ ſiue ſolidæ, omnibus rebus ineſt proprium.

Sublimatio.

Eſt cùm extractum in ſublimem vaſis partem agitur, ibiq; ſubſiſtit, vel cum inter ſublimatum & caput mortuum, aereum interuallum intercedit. Modus eius eſt talis: Res ſublimanda præparatur vt decet, nempe vel lotione, vel calcinatione, toſtione, coctione &c. poſtea cucurbitæ prolixiori, quæ Aludel vocatur, vel matulæ, ſæpius quidẽ fundi plani, nonnunquam tamen & ſperici, imponitur, & tribus partibus vacuis quarta impletur. Cucurbita autem recta, eſt lapidea vel vitrea, lutata tamen, prominẽs è fornace, cui imponitur alembicus roſtratus, vel cæcus in vertice perforatus vt ſpiritus humidi abſcedere queant. Datur poſtea ignis per gradus & tunc ſpirituum humidorũ præſentia vel fuga exploratur per cultellum vel laminam

ferream politam quæ foramini alembici cæci imposita, afflatus facilè suscipit & repræsentat. Cum spiritus sicci scandunt clauditur oculus alembici, tunc etiam ignis intenditur, vt sit gradus ad sublimandum iustus.

Calcinatio.

Fit diuersis, sed quatuor potissimum modis, vel per desiccationem humiditatis natiuæ, vt in sale, vitriolo, alumine & similibus; vel per reductionem in calcem per ignem reuerberij, tunc vocatur Alcool vt fit in metallis & alijs mineralibus: vel per amalgamationẽ metallorum familiarium cum hydrargiro commiscendo metalla cũ sex partib' Mercurij, vel per aquas fortes, Regias, & spiritus salium, calcanthi, sulphuris & similium, reducendo tam metalla quam diuersa alia mineralia & lapides in Alcool.

Cementum.

Est materia mineralis acuta & penetrans cũ qua strata metalla ad ce-

men-

mentandum reuerberantur. Sic fit: crucibulum, pixis vel olla repletur metallo laminato cum certis pulueribus (prout res est) & sic fit S.S.S. vsque ad summum, ponuntur carbones per circuitum, vel datur ignis reuerberij paulatim augendo vt res postulat.

Alcolismus.

Est comminutio vel corrosio, cum in minutissimas partes rem redigimus, hoc fit calcinatione, cribellatione & alijs modis. Id cũ fit & nihil aspredinis & corpulentiæ occurrit tactui, sed totum pulueratum est vt tenerrima farina Alcohol vocatur impalpabile. Detorquent etiam hoc nomen Chymici ad liquores per reiteratas destillationes subtiliatas, vt cum vocant spiritum vini Alcohol vini.

Magisterium.

Est species Chymica ex toto citra extractionem, impuritatibus dũtaxat externis ablatis, elaborata exaltataq;. Quædã exaltãtur digestione maturatoria circulationeq; & simi-

& similibus, sic vina cruda generosa euadunt, siquidem inest potẽtia nobilitatis, dũ longo tempore digeruntur, vel etiam calore maturantur. Idem euenit & in oleo artificiose seruato, semper subtractis alienitatibus, defecando. Alia apparantur per diuaparationem noxiorum *halituum*, quod fit torrendo, vrendo, eluendo, nonnunquam & sublimando & alijs modis. Ita stibio subtrahuntur virosi halitus: ita Arsenicum, Realgar &c. perdũt venena. Mezereum, esula & similia domantur aceto, &c. etiam ad culinam huius magisterij vsus peruenit, vbi perficiuntur ad alendum inepta, vt fiant commoda.

Extractum.

Est quod è corporea concretione, relicta crassitie elementari extrahitur; estque hoc quasi medulla & pars nobilissima substantiæ totius in elementis producta & quasi seminata, in quorum quoque sinu conseruata est & ad nobilitatis suę perfe-

perfectionem innutrita. Hinc extracta præsertim nobiliora, æthereæ & cælestis naturæ dicuntur æmula, beneq́ue præparata & dextrè ad salutem humanā adhibita, Deo simul benedicente multum in re medica possunt. Modus extractionis frequentissimus est per digestionem in certo aliquo menstruo in quo infunduntur ea quæ tincturam habent: quod tinctum est depletur, reponiturque aliud vsque ad colorem imbibitū relicto corpore decolore. Depletiones filtrātur, circulantur & coagulantur, menstruo destillatione detracto quousque placet. Quædā enim ad siccum reducuntur, quædam oleiformi cōsistentia relinquuntur, interdum vbi menstruum est acre requiritur ablutio per aquas dulces destillatas. Nonnunquam edulcoratione facta affunditur aqua Cynnamomi, rosacea aut similes, & tinctura liquida pro vsu conseruatur.

Quinta

Quinta essentia.

Est cælestis substantia immunis ab omni fœce terrena, spiritus vniuersum per means virtutũ physicarum subiectum, vltima cuiusq; rei habentis formam & speciem extractura, multiplici circulatione ad subtilitatem deducta maximam, clauis philosophica aperiẽs obseratissima corpora, particularia arcana mira facilitate educens, & Herculeum in momento exantlans laborem. Modi apparatus sunt penè in omnibus digestio, destillatio, circulatio eæq; repetitæ quantũ necesse est. Primas obtinet quinta essentia vini, quã & Mercurium vegetabilem nominat Lullius, alij aquam primi entis: post gemmarũ & metallorũ inde sequuntur odorata pretiosa, aromata, crescentia, cremabilia, animalia &c.

De Tribus Principiis Chymicorum.

Certum & ratũ habeatur Omnia corpora mixta reduci posse in tria prin-

principia, mercurium, sulphur & sal, & vnumquodque principium in alia tria, vt mercurius in aquam ardentem siue vitę, aquam elementarem siue nubis & aquam acidam: sulphur in oleū odoriferum, oleū rubrum & resinam, Sal in volatile, fixum quod vocant Alkali & terrā damnatam quæ reducitur in vitrū. Ita ex omnibus corporibus fermētatis, defæcatis, & liquoribus claris vini, pomacei, cereuisiæ, Hydromelitis & ceteris, per destillationem elicitur primo aqua ardens deinde aqua insipida, postea oleū flauum & rubrum, sicut & gummi siue resina, vltimò ex cinerib⁹ modicum salis. Animaduerte ex rosis & alijs floribus odoratis maximè, sicut & ex omnibus herbis & in vniuersum vegetabilibus cunctis eadem via elici posse aquam ardētem, oleum & sal.

De destillatione liquorum.

Digere vinū generosum in fimo vel eius vicario in vasis circulatorijs

rijs iustę amplitudinis per octo vel decem dies, postea vase refrigerato, effunde vinum in cucurbitas altas, quibus superpone alembicos rostratos iuncturis cũ vesicis porcinis vel bouinis bene munitis, destilla vt artis est per B. primo egredietur spiritus quem separa, mutato recipiente, deinde vrge flegma vsque ad spissitudinẽ mellis liquidi, fœces per retortam destilla dãdo ignem per gradus, & accipies oleum pingue. Ex capite mortuo ad albedinem calcinato sal elicies flegma superfundendo, digerendo, filtrando & coagulando.

Acetum, sine digestione eodem modo destillatur quo & vinum, excepto quod flegma primò egreditur & spiritus vltimò; oleum & & sal eliciuntur eo modo quo supra.

Destillatio herbarum siccarum & aromatum.

Herbarũ voce intelliguntur quęlibet plantæ teneriores ita vt non tantum herbaceæ partes, veluti fo-

lia, comæ &c. accipiantur, sed & radices & flores & scapi teneri. Legendæ sunt pro consilio, tum cum virtus, quam potissimũ quærimus est in vigore, etsi nónunquam quædam immatura quærantur, vt oliuæ, iuglandes, vuæ acerbę &c. Herbæ aridæ tusæ aqua communi perfundantur vel propria annicula, si ad manum est, idque maxime si sint qualitatis frigidæ humidæ sin calidæ siccæ, vino potius aut aqua roris Maij, si propria desit. Copia menstrui tanta sit, vt saltem irrigentur pro maceratione; sin plus affunditur, nõ tota quantitas est abstrahẽda. Facta maceratione ad placitũ, destillantur. Organa destillatoria è vitro commendantur, vel terrea figulina firma: in aliquibus tamen admittitur vesica ænea. Cauendum Empyreuma, quod tamen si cõtractum est, tollitur denuò per insolationem vel alios modos. Sic destillantur Pulegium, Mentha, eupatorium, item surculi arbusculorũ ex rorismarino, spicanardi &c. eo-

dem

dem pertinet & quicquid est aromaticũ, vt radices, cortices, ligna, semina, fructus, folia, flores &c. E quibus destillando aqueum humorem simul destillatur & oleũ, maximè si fiat per cineres, arenam vel vesicam æneam cum refrigeratorio, fœces exsiccantur & comburuntur in cineres è quibus aqua affusa, digerendo, filtrãdo & coagulando, sal elicitur.

Aqua cinnamomi.

Recipe Cinnamomi optimi crassè triti *lib. 1.* cui affunde aquæ rosaceæ & vini albi ana libras 3. macera in calore cõgruo fimi vel Balnei q.s. destilla per cineres, separãdo aquam primam quæ est optima, secundam item seorsim vt & tertiã collige. Secundæ vsus potest esse ad macerationes pro menstruo. Tertia est flegma inutile.

(∴)

Aqua cinnamomi composita admirandæ virtutis tempore pestis. Datur etiam in puerperio difficili laborantibus.

Macera & destilla Cinnamomũ vt supra addendo saltem, radicum dictami Cretici, Angelicæ ana. vncias duas, in hac aqua dissolue saccharum album quantum potest & digere per diem naturalem, postea aquam superfluam destillatione separa donec syrupus placeat cui adde aquę vitę rectificatę, *vncias duas*, & probè misce.

Destillatio herbarum recentium.

Herbæ tota substãtia, vel ea pars quæ in præsens suppetit, tunditu r & in aqua copiosiore maceratur, ita tamen vt nunquã duos dig.tos excedat. A copiosiore aqua vix terria pars abstrahitur. Exempl oest aqua Cichorij, Chelidoniæ &c. Radices & herbã Cichorij medio Maio lecta duodecim librarum põdere tunde vel minutim incide, affunde

funde aquæ communis lib. 20. macera per triduum, destilla ex vesica libras saltem octo.

Longè efficacior fit aqua rosacea si tusi flores absq; menstruo aut eo saltem pauco, ita vt tantum irrigētur, macerentur & destillētur modico calore balnei, quam si copiosa perfundantur aqua. Quod si frigorifera vis petitur potius, satis est vna destillatio, præcedente irrigatione ex aqua communi vel rosacea veteri. Sin vis confortans & odor quæritur plures fiunt infusiones in destillato. Infundi verò debent rosæ siccæ moschatæ & tunc etiam solet addi parum pulueris gariophyllorum vel aqua eorum destillata: a qua insolando rectificatur.

De aquis fortibus.

Aqua fortis est quæ ex acribus & corrosiuis certa proportione cōmistis violētis ignibus destillatur, igneam vim in corrodendo habet. Quæ validissima est stygia vocatur: Quæ salem ammonium cum

reliquis, vt in ea aurum soluatur, Regia: reliquæ diuersis fiunt virtutibus, aucta mistura ex consilio vt sit certis rebus accommoda.

Aqua fortis communis.

Recipe vitrioli exsiccati lib. 2. Salis petræ rrpurgati lib. 1. tere simul & misce, deinde impone retortæ optimo luto loricatæ & colloca in fornace reuerberij appositoque recipiente amplo, destilla per gradus spacio 20. horarum. Cum spiritus albi & nebulosi in receptaculo dissipantur finis adest: sine paulatim refrigescere. Aquam exemptam clarifica per argentum ita: Cape quartam partem istius destillati, inijce puri argenti dragmam vnam & solue super prunis: solutionem infunde alijs tribus partibus & lactescent: sine residere, purũ effunde: vocatur & hæc aqua separationis. Si regiam cupis in vncijs iiij. huius communis dissolue vnciam j. salis ammonij vel salis communis exsiccati, hæc aurum soluit.

Aqua

Aqua fortis perpetua & modus faciendi Cynnabarim.

Dissolue Mercuriũ in aqua forti, adde Sulphuris partẽ equalem, destilla per retortam & habebis aquam validiorem quam antea & Cynnabarim ad collum retortæ.

Aqua Salis petræ.

Sal petræ miscetur cum tribus partibus Boli communis & destillatur per retortam spatio 15. horarum. Ex lib. 1. salis petræ accipies lib 1. aquæ si bene operatus fueris.

Aqua Salis Armoniaci.

Sal armoniac miscetur cũ quinque partibus cinerum communiũ & destillatur vt sal petræ.

Aqua Philosophica.

Recipe Salis petræ repurgati, Salis armoniaci ana vncias ij. simul tere, misce & impone retortæ capienti quatuor ad minus pintas Parisienses, cui appone magnum vas recipiens commissuras retortæ cũ recipiente leniter lutando, deinde

destilla ex cineribus donec omnes fumi magna violentia egressi fuerint, nec guttæ vlteriùs ex retorta decidant: tum retortam ita calentem exime & materialia supradicta noua in eadem dosi repone & misce cum capite mortuo destillãdo vt supra, accipies aquam Philosophicam & Regiam quæ aurum sine strepitu soluet.

De Oleis.

Oleum est arcanum specificum radicalis pinguedinis forma totam rei substantiam comprehendens. Interdum est cum tinctura & quinta essentia; inde euenit vt hæc tria non rarò indiscretim nominẽtur, sintq; eadem numero, essentia. Ita oleum in elemẽtorum magisterio pro aëre est & igni. Et cum duplex oleum penè ex omnibus eliciatur, alterum dilutius, alterum acrius, facilè pro elemento aëris & ignis se gerunt. Olea stillatitia maximè fiunt ex vegetalibus & animalibus quæ si per ascensum fiunt, ferè cõmuni possunt confici via per macerationem

rationem in menstruo conuenienti & destillationem per vesicam æneam.

Oleum Caryophillorum.

Recipe Caryophillorum grosse tusorum lib. iiij. aquæ fontanæ lib. 40. macera in loco calido q.s. adde tartari vncias ij. destilla postea per vesicam æneam cum refrigerio, & habebis olei vncias viij. Eodẽ modo destillantur Macis, Piper, semina anisi, fæniculi, coriandri, angelicæ, rutæ, rorismarini, petroselini, anethi & similia. Notandum ex Aniso exire aquam lacteam, quæ posita ad solem, tum demũ reddit oleum plenius, licet aliquando quoddam etiam innatare cernatur. Et diutius macerandum est anisum veluti per medium mensem. Si fæniculum & anisum sint recẽtia maturaque plus præbent olei.

Oleum Rorismarini.

Recipe flores & frondes rorismarini, macera in propria vel cõmuni stillaticia, aut etiam tusos in vino macera, pone in retortam & destil-

la per B. primò fluet aqua, post oleū fragrantissimum aureum; vel destilla per refrigeria & post circula ad solem. Idem processus est florū rosarum & citriorum.

De Oleis ex plantis succulentis & carneis &c.

Si vsum respicias, extractus herbarum recentium succus, indeque facta essentia quinta, præstat: parū enim præbent olei. Sin artis vim: ita oleum solet fieri. Herba recens cōtundatur in pultis formam, maceretur in fontana, destilletur per vesicam. Huius loci sunt flores, surculi, radices, carnes animalium & quicquid mollescere potest.

De Oleis lachrymarum, resinarum, gummi, pinguedinum & similium.

Solubilia soluuntur aceto vel vino vel aquis pro rei natura & vsu, digerūtur in hoc ipso liquore, postea addito sale, vel silicum puluere, destillantur per retortam igni, leui gradatim, destillata segregantur in

tur in B. vel cineribus destillando ita vt primum aquositas secedat, postea oleum subtile. Quod relinquitur crassum, vsurpatur nomine Balsami, vel amplius destillatur in arena vt fiat subtilius. Ita destillantur Benzoinum, Styrax, Laudanũ, Caphura, Thus, Mastix, Opoponax &c.

Oleum Ceræ.

Liquefac Ceram igne moderato, tamdiu stet in fusione donec bullas non vlterius producat, tum amota ab igne immisce duplum sui ponderis salis decrepitati, & destilla per retorttam igne moderato. Ex libra ceræ accipies vncias xij. olei

Oleum Laterinum.

Candefac particulas laterum vel silicum instar fabarum in crucibulo, quas ita ignitas proijce in vetus oleum oliuarum, cooperi & relinque per noctem, postea lapillos cum oleo per retortam destilla; secundò & tertio rectifica oleum destillando cum sale præparato.

Oleum ex vitellis ouorum.

Vitellos comminutos in sartagine frige igne temperato donec rubescant & oleum remittant, continuò spatula lignea vel ferrea mouendo ne adurantur, oleum postea calide exprime. Aliqui frixos sic vitellos in linteo oleo amigdalino dulci madefacto includunt & sub prælo exprimunt. Mathiolus in Dioscoridem scribens hoc oleũ commendat ad asperitatem cutis, ad impertigines, ad fissuras labiorum, manuum, pedum, item ad dolores vlcerum, articulorũ, & omnium locorum neruosorum. Præterea vtile est locis igne adustis & & in membranis cerebri.

Oleum Tartari.

Tartarum tritum cum sale vel filicibus ponitur in retorta, datur ignis per gradus, post aquam exit oleum foetidum, corrigitur denuò destillãdo per cineres, vtile est neruorũ doloribus & podagræ: fit etiã per deliquium ponendo tarta-

rum

rum calcinatum ad albedinem in cella vel alio loco humido donec resoluatur, postea filtratur.

Oleum Saccari.

Recipe Sacchari albi grossè tusi vncias iiij. aquæ vitæ vncias octo, aquam vitæ succende in scutella argentea vel figulina vitreata in quã saccharum inijce continuè spatula agitando donec flamma cesset, tum adde aquæ rosaceæ vnciam vnam & misce.

Oleum Succini.

*D*igere libram j. Succini triti in vini albi libra j. per triduum, tum addito, manipulo salis præparati destilla per retortam seruatis ignis gradibus. Rectificatur, denuò destillando cum sale tantum.

De Oleis è mineralibus.

E mineralibus non pinguibus diuersi eliciuntur liquores, olei nomine passim appellati, quamquã im propriè. Cum calces resoluũtur in liquorẽ, in oleum redigi aiunt, cũ etiã spiritus eliciuntur ex salibus & similibus, eodẽ nomine afficiũtur.

Oleum Antimonij.

Recipe Antimonij crudi, Sacchari candi ana vncias iiij. aluminis calcinati vnciam vnam simul tere & misce, destilla per retortam igne valde modereto, accipies oleũ rubicũdum ad vlcera aptissimum.

Oleum vitrioli

Recipe vitrioli ad albedinẽ calcinati libras iiij. particularem laterum libram semis: simul misce & impone retortæ firmę lutatę impletæ ad duas tertias ad summum, cui admoue receptaculum grande desuper lutatum, commissuris retortæ cum recipiente benè luto salso munitis. Detur postea ignis per gradus spatio 10. horarum donec retorta candeat, tum augeatur ignis ad summum gradum alijs decem vel 12. horis. Peracta destillatione abstrahitur flegma igne balnei vel cinerum.

Oleum Salis communis.

Decrepita sal commune, dissolue si placet in aqua communi, filtra & coagula, exsiccatum & in puluerem

rem redactum misce cũ tribus partibus boli armeni, destillatur vt oleum vitrioli excepto quod libra vna aquæ stillatitiæ ponitur in recipiente, & ignis post candefactionem retortæ augetur spatio 18. vel 20. horarum flegma cum aqua destillatione separatur, vt supra.

De Alkali.

Extrahitur è vegetalibus, animalibus & mineralibus quæ in cineres vel calces reuerberãtur, postea teruntur & proprio humore vel analogo perfundũtur, macerantur, fitque lixiuium, quod filtratum per calorem siccum coagulatur secundum artem.

Alkali Imperatoriæ.

Siccatam calcina ad albedinem, salem extrahe cũ aqua eiusdẽ herbæ stillatitia, vel communi digerẽdo per noctem, postea aquam per inclinationem effunde cauendo ne fœces turbentur, aliam vsque tertio refunde digerendo vt supra, tandem depletiones filtra & coagula.

gula. Si coagulum non sit satis album calcina in crucibulo ad rubedinem, cauendo ne liquescat, deinde resolue, filtra & coagula. Sic extrahitur sal ex omnibus herbis. Sed notandum tali calcinatione perire sal volatile siue essentiale, manereque solum elementale.

Sal Tartari.

Tartarum ad albedinem calcinatum perfunditur aqua cõmuni, digeritur, filtratur & coagulatur.

Sal essentiale, cremor siue Cristallum Tartari.

Recipe Tartarum Montispeliense album, quod est optimum, reduc in puluerem, & fac in magna aquæ quantitate in cacabo æneo vel ferreo bullire ad mediæ partis consumptionem, tum amoto ab igne, effunde in scutellas terreas vitreatas vt frigescant, postea aquam per inclinationem effunde, & sal parietibus vasorum adhærens separatis fœcibus frequenti aquæ affusione collige, & iterum vt supra decoque

laua

B. San. Gen. paris.

ſaua & à ſordibus ſepara & exſicca, tandem reduc in puluerem, cuius doſis dragma vna in iuſculo vel medicamine appropriato, virtutem habet aperiendi & deopilandi.

Modus eliciendi ſal eſſentiale ex herbis ſine calcinatione.

Recipe Cardui benedicti quantitatem magnam, contunde in mortario lapideo vel ligneo, poſtea in alueo amplo cum magna aquæ quãtitate coque vſque ad mediocritatem, deinde fortiter exprime & cola: colaturam iterum coque vſque ad ſpiſſitudinem mellis liquidi. Succus iſte Cardui benedicti ponatur in vaſe vitreo in loco frigido per dies aliquot, & generabit in fundo vaſis ſal criſtallinum, angulare in modum ſalis gemmæ, effuſo ſucco colligitur & aqua Cardui benedicti abluitur & exſiccatur, quod diligenter ſerua: eſt enim præſtantiſſimum remedium in peſte ſi eius grana duo plus minus in Cardui benedicti ſpiritu exhibentur, ſudores

abun-

abundè prouocant. Eadem quoque ratione fit sal ex alijs herbis quod multis modis antecellit salem qui ex cineribus herbarum conficitur.

Sal Colcotarinus.

Colcotar perfunditur aqua pluuiali & sal digestione vnius diei vel noctis in eam ingreditur, filtratur, coagulatur. Rubedo reliqua si quinquies aut sexies iterum calcinetur & eleuatur semper salsedo, tandē dulcis relinquitur: & vocatur dulcedo vitrioli, quæ maior est si ex vitriolo veneris paretur, & præsens est in vlceribus malis remedium.

Sal siue vitriolum ferri.

Accipiatur Olei sulphuris per campanam facti, licet non rectificati vncia j. cui immisceantur vnciæ ij. aquæ communis, huic mixtioni impone limaturæ ferri vnciam j. in matratio quod obseratum colloca in cineribus calidis vt bulliat lentissimè spatio sex horarum, postea infrigidari spontè permitte & inueni-

uenies in vase generatum vitriolũ viride splendens quod calore dissoluitur, frigore coagulatur.

Sal siue vitriolum Cupri.

Cuprum calcinatum siue squamas Cupri reduc in puluerem subtilem quem in aceto destillato per diem naturalem digere, tinctum acetum per inclinationẽ effunde & aliud refunde toties, donec nõ tingatur vlterius, depletiones filtra & ex tribus partibus euapora vel destilla, quod relinquitur in fundo vasis ponatur in loco frigido & generabit vitriolum viride obscurũ splendens, quod postea si in aqua stillatitia dissoluitur, digeritur, filtratur & eo modo quod dictum est coagulatur fit vitriolum cæruleum tam in medicina quam arte transmutatoria virtutis admirandæ.

Sal Plumbi.

Calx Saturni siue Miniũ perfunditur aceto destillato vel saltẽ eius flegmate, digeritur per diẽ naturalẽ sæpi-

ſæpius agitando, menſtruum detra-hitur aliudque ſubſtituitur donec omnis ſalſedo abſtrahatur, deple-tiones filtrantur & coagulantur in cineribus vel arena.

Si acetum tertiò deſtilletur à ſa-le Saturni cum cohobijs, poſtea ſu-perfundatur vini ſpiritus & deſtil-letur cum trina cohobatione; Hoc ſal virtutem acquirit admirandam in ſanandis diuerſis morbis. Si eius ſex grana dentur ex vino albo in peſte, curatur æger infra 24. horas. In Hydropiſi dantur tria grana in vino albo quatuor diebus continu-is. In colica ſex gr. item ex vino al-bo. Leproſis dantur ſex grana in a-qua fumi terræ per 18. dies conti-nuè.

Salium natura atque proprietates.

In hoc conueniunt omnes quod ex ſalibus omnis vis ſaporifera o-riatur in quolibet mixto corpore: quod diſſoluuntur in aquam, & eua-poratione aquæ congelantur & cal-cinantur: itidem in igne liqueſcũt.

In his

In his omnis vis corrosiua latet. Ex istis elicitur spiritus siue aqua acida dissoluens omnia corporea aquea & terrena: mundificant & abstergunt, à corruptione & putrefactione præseruant, & inter Balsamum naturæ numerantur. Differũt colore & coagulatione & forma externa vt & sapore. Salis communis sapor est gratus: vitrioli est metallicus, aluminis astringens. Color salis & aluminis est albus, vitrioli est viridis, albus, ceruleus; sic *etiam* eorum spiritus acidus valde est. Differũt: nam salis spiritus acidus generaliter dissoluit omnia corpora, vitrum, lapides, cristallos, metalla omnia & volatilia reddit. Vitrioli spiritus non dissoluit, sed calcinat lapides, congelat mercurios metallorũ, fixat sulphura, nam si miscetur spiritui vini vel alijs oleis inspissatur in frigido aëre. Aluminis est dissoluens & magis approximat ad naturam salis communis. Cõueniunt in hoc spiritus acidi quod extinguũt ardorẽ sul-

sunt & facultate & proprietate agendi, nam sal commune est confortatiuum; vitrioli est summè laxatiuum, Aluminis est stipticum quamdiu manent in eorum natura & esse. Reliqua salia sub istis tribus speciebus comprahenduntur.

De floribus.

Flos fit sublimatione, vel per distautiam vel superficiem potissimũ ex illis rebus quarum essentialis virtus in volatili parte subtilique magis consistit.

Flores Benzoini.

Benzoinum teritur & tigillo vel ollæ rotũdæ imponitur, clauditur, deinde duplici carta emporetica conuoluta in modum manicæ Hypocratis, datur postea ignis ad sublimationem idoneus, & flores niuei sæpius colliguntur.

Flores Antimonij.

Electum stibium in subtilem pulverẽ redactũ ex aludele terreo in alembicũ rostri expertem quidẽ, in verti-

verticetamen peruium ad humidos spiritus emittendos cum mobili cono sublimetur secundum artem, dando ignem per gradus ad decem vel duodecim horas ad flores albos excipiendos, ad citrinos per 24. hor. ad rubeos per 36. ignem cõtinuando & augendo.

Flores Sulphuris.

Parantur miscendo æquales partes sulphuris & colcotaris perfectè rubificati & exsiccati, sublimando vt in Antimonio dictum est, spatio tamen octo horarum operatio perficitur, nec tanto opus igne vt in Antimonio. Secundò sublimentur cum saccharo candi solo vt magis ad asthma & alias pulmonum affectiones conferant auxilium. Sublimantur etiam flores miscendo ad lib. j. sulphuris lib. j. & semis farinæ laterum.

Modus parandi Mercurium sublimatum.

Recipe Mercurij purgati per salẽ præparatum & acetum & per corium

rium traiecti, vitrioli rubificati, Salis præparati ana libram j. Salis nitri vncias iiij terantur & misceantur simul in mortario lapideo cum modico aceto tamdiu, donec Mercurius nullo modo appareat viuus, omnibus benè mistis pone cucurbitam lutatã cui superpone alembicum rostri breuis dando ignem per gradus vt est artis per octo vel decem horas: seruãda erit aqua fortis quæ primò effluet. Pro secunda sublimatione ad libram j. sublimati addantur salis præparati vncias xij. & vitrioli vncias iiij. Si tertiò à sale tantum sublimetur.

Sublimatus dulcis.

Recipe Mercurij purgati vt supra vncias vj. Mercurij sublimati vncias viij. simul tere & misce cum libra j. colcotaris perfectè rubificati, deinde sublima ex matratio in arena spatio quinq; vel sex horarũ, secundò sublimatur cũ media libra colcotaris: Tertio per se tantũ. Qui voluerit loco colcotaris poterit

vti sale præparato. Finitis sublimationibus massa redigitur in puluerem subtilem & aqua rosacea probè abluitur & exiccatur dosis à 20. gr. ad 30.

Aliter.

Recipe Mercurij sub. vncias vj. foliorum lunæ vnicas ij. simul tere, misce & sublima ex matratio in arena, vase refrigerato, partem volatilem separa, fixiorem & cristallinam tere & misce cum fæcibus in imo vasis relictis, secundo & tertio sublimando vt supra. Dosis à gr. 6. ad 8. vel. 10. Debet ablui vt supra purgat suauiter.

De Calcinatione.

Caput mortuum herbarum post destillationem, vel succi expressionem, comburitur in cineres, reuerberantur posteà igne moderato vt vas terreum cineres continens saltem candeat per diem naturalem, sal postea eo modo quo superius dictum est eliciatur.

Calcinacio Tartari.

Sternitur tartarum in vase terreo

plani fundi craſſitie digitali, reuerberatur poſtea ad albedinem vſque ſpatio quinque vel ſex horarum igne ita moderato, propter fuſionē, vt vas ſaltem candeat.

Calcinatio Vitrcoli.

Exiccatur prius ad albedinem in vaſe terreo non vitreato igne moderato poſtea augetur ignis per horæ quadrantem vt rubeſcat tunc vocatur Colcotar.

Alia vitrioli calcinatio & Sulphur Narcoticum.

Vitriolum in aqua communi diſſolutum & filtratum fac vt ferè bulliat in arena, cui laminas ferri nitidas impone, & poſt medium horæ quadrantem exime, & ſulphur vitrioli quod illis adhæret abrade, toties id repetendo donec nihil vlterius laminis adhæreat, tùm ſulphur narcoticum probè elutum exicca & ſerua.

Vitriolum vomitum prouocans.

Diſſolue vitriolum album in aqua communi, filtra & coagula, etiam ſecundò hoc repete, tertiò diſſolue

ſolue in aqua roſacea & coagula. Doſis à dragma ſemis ad dragmam i.

Calcinatio & præparatio Salis communis.

Sal commune poſitum in crucibulo vel alio vaſe terreo & ferè ad ſummum repleto coopertoque, locatur inter carbones viuos donec vndiq; candeat nec amplius crepet: ſoluitur poſtea aqua communi, filtratur & in ſcutella noua terrea vitreata coagulatur.

Calcinatio Antimonij.

Recipe Stibij electi libras iiij, ſalis præparati libras v. pulueriſata miſceantur & in vaſe terreo lato planifundi ſuper fornacē reuerberij agitentur ſpatula ferrea continuè mouendō ſpatio quinque vel ſex horarum donec ceſſet fumus & fiat ſtibium album & ſubflauum (cauendum diligenter à liquefactione & fumo noxio) conteratur poſtea in puluerem & ſal affuſione aquæ calidæ & ſæpius frigidæ eliciatur, exiccatum & pulueriſatum ſublima per ſe in Aludele per 10. vel 12. horas,

floribus collectis, caput mortuum teritur & ad rubedinem mensis spatio reuerberatur vase ita occluso, propter cineres, vt ignis ab operatione debita non impediatur. Post calcinationem, tinctura aceto radicato elicitur & filtratione, separatione mẽstrui & circulatione cũ aqua cordiali vlterius elaboratur.

Alia Stibij Calcinatio & Puluis Emeticus siue Mercurius vitæ.

Recipe Antimonij puluerisati, vncias iiii. Mercurij sublimati vncias viii. simul misce & destilla *in cineribus per* retortam *vitream* cui applicetur recipiens aqua communi semiplenum, detur postea ignis per gradus donec liquor gummosus instar butiri ad collum retortæ hæreat, quem apposito carbone viuo fluere facies, & in aquã in puluerem album præcipitare; postea paulatim detur ignis suppressionis donec liquor rubeus egrediatur, tùm amoto recipiente & alio substituto ignis intendatur per horam vnam vel alteram donec Mercurius ex sublimato

to sulphuri antimonij iunctus ad collum retortę in Cynnabarim sublimetur, quam vase refrigerato colliges. Præcipitatum puluerem per noctē digeres & aquā spiritu vitrioli ex sublimato impregnatam ad corallos & perlas dissoluendas separabis & seruabis, aliam aquam sæpius præcipitato pulueri affundendo & digerendo donec omnis acrimonia tollatur: tandem aqua cordiali ablue & lentissimo calore exicca. Dosis robustioribus gr. iiij. vel v. Debilioribus ij. vel iij. in pomo cocto vel conserua rosarum. In febri quotidiana, tertiana & peste.

Aliter & Crocus Metallorum siue Hepar Antimonij.

Recipe Antimonij crudi lib. j. *Salis* petræ vncias viij. simul tere, misce & impone mortario ferreo ad latus posito, deinde apposito saltem carbone viuo accende & subitò fiet Hepar Antimonij: sal petræ posteà separatur. Dosis gr. 12. ad 20. in infusione vini albi, aquæ cardui benedicti, vel alio conuenienti liquore

in febribus pestilẽtialibus maximè.

Alia stibij calcinatio.

Recipe Antimonij electi, Salis decrepitati ana lib.j.tritis & simul mistis, reuerbera in crucibulo probè lutato per 12. hor. ignẽ paulatim augẽdo, vase refrigerato, toties aqua dulci ablue donec omnis acrimonia tollatur, exiccatur & teritur. Dosis à 25. gr. ad ℈j. purgat per *inferiora* tantum.

Aliter Antimonium Diaphoreticum.

Recipe Antimonij, Salis nitri ana lib.1. puluerisata simul *misce*, deinde pone crucibulum *inter* accensas prunas vt candeat, tum inijce vncias ij. aut circiter huius mixtionis & statim crucibulum coöperi donec fumus & strepitus cesset, postea amoto coperculo nouos pulueres inijce & claude ita ad finem continuando, tãdem da ignem liquefactionis ad horæ quadrantem. Vase refrigerato materiam exime & tere miscendo vt supra cum ana salis nitri eodem modo calcinando & elaborando vt supra, materiam *tritam*

& ab-

& ablutionibus edulcoratā reuerbera in vase terreo clauso spacio 24. hor. donec puluis fiat candidus: cuius dosis. gr. 15.

Regulus Antimonij.

Recipe Antimonij, Salis petræ, Tartari ana lib. j. tere & misce, deinde colloca crucibulum inter prunas accensas vt candeat, tùm inijce cochlear puluerum & statim operi donec fumus cesset, postea amoto coperculo nouos pulueres inijce & claude ad finem vsque ita continuando, tandem da ignem fusionis & crucibulum moue vt regulus fundum petat: crucibulo frigefacto regulum à fœcibus separa & serua.

Sulphur auratum Diaphoreticum.

Paratur cum fœcibus Reguli vt supra præparati, & in lixiuium per digestionem vel ebullitionem redactis, quod calidè per cartam emporeticam filtrari debet, huic lixiuio frigefacto adde parum aceti destillati & videbis crocum auratum statim fundum petere: separa lixiuium per inclinationem & prædi-

ctum crocum multis ablutionibus dulcoratum & deficcatum, feorfim collige, qui admirabile erit fudorificum & fanguinis mundificatiuum multis morbis depellendis aptiffimum. Dofis à fcrupulo vno ad drag. femis.

Calcinatio criftalli rupis.

Criftallum per fex horas in crucibulo reuerberatum reduc in puluerem fubtilem & mifce cum ana falis nitri, & denuò reuerbera horis 18. igne vehementi, fufum proijce in aquam cæleftem, quod indiffolutum remanferit exicca & reduc in Alcool, deinde cum eadem aqua coque donec inftar pultis infpiffetur, expone fuper partes, vitri in calido vt exiccetur, poftea iterum reduc in Alcool, & pone in humido vt diffoluatur. Si quid indiffolutum remanferit, repetita calcinatione cum nitro & alijs vt fupra fiet folubile. Dofis 3. vel. guttæ cum ana olei iuniperi contra calculum renum & veficæ.

Alia Chriftalli calcinatio.

Can-

Candefac criſtallum clarum & põderoſũ &extingue in aceto deſtillato toties donec minimo attactu in puluerem redigatur tum miſce cũ ana ſalis petræ & reuerbera 18. horis, deinde multis ablutionibus ſal fixum ſalis petræ extrahe, exiccatum reduc in Alcool, contra calculum, morbum caducum, dyſſenteriam & vbera *ſterilia.Si* quis hũc puluerem impalpab ilem ad prædictos affectus magis ſubtiliare voluerit digerat 24.horis in ſpiritu vini & per retortã deſtillet, quod fixum remanſerit reuerberetur vt ſupra, digeratur & deſtilletur toties, donec maior pars cum S. V. aſcenderit tum ſpiritu per deſtillationẽ ſeparato quod in fundo vaſis hæret ponitur in humido vt in aquam ſiue oleum diſſoluatur.

Calcinatio Salis petræ ſiue Criſtallum minerale,vel lapis Prunellæ.

Sal petræ venalitius ſoluitur aqua communi & per cartam emporeticam traijcitur vel filtratur quo à ſordibus omnibus expurgetur, deinde vaſe vitreo decoquitur & cre-

bro despumatur antequam coaguletur: exsiccatus teritur & tigillo mūdo imponitur vt inter prunas accensas liquefieri possit. Liquatæ libræ inijcitur florum sulphuris vncia i. non quidem simul vna vice, sed pluribus donec omnis pinguedo deflagrauerit, sed flamma vitanda. Hæc salis solutio, filtratio, decoctio, despumatio, coagulatio, *eliquatio* & deflagratio si cōtinuetur ter ad medecinæ vsum sufficiēter præparatus est. Sal iste dragmæ semissis pondere in aqua rosacea vel endiuiæ resolutus, summum est in *prunella* arcanum: gargarisatus enim oris & colli immunditiem omnem tollit: & si parum istius aquæ deglutiatur, sedat omnem calorem internum & cordi refrigerium præstat. Cum vini spiritu sumptus, tussim sedat, cum aqua Hyssopi, tam pulmonis quàm iecoris obstructiones expedit, anhelitum difficilem curat: vocem deperditam restituit & sonoram reddit si media eius dragma cum oui vitello mediocriter percocto matu-

tino tempore à ieiuno quotidiè sumatur; Valet præterea in multis alijs morbis tam internis quàm externis vt latius Ioannes Tholdeus in sua hagyographia, & Bernardus Penotus in libro de præparatione medicamẽtorum Chymicorũ. Vtũtur hoc sale in febre Hungarica quæ est febris ardens causus dicta, præsertim ad occurrendum symptomati quod illam febrem comitatur, quodque prunellam vocant, quæ est inflammatio linguæ fauciumque cũ nigredine.

Calcinatio & præcipitatio Mercurij.

Mercurius dissoluitur in aqua forti & affusione aquę salsę pręcipitatur in puluerẽ album, dissoluens per inclinationẽ effunditur, & præcipitatus multis ablutionibus cum digestione ab omni salsedine & acrimonia liberatur. Tandem exiccatus, aqua rosacea abluitur & exiccatur, Dosis interius à gr. 8. ad 10. in morbis venereis maximè. purgat per inferiora tantum.

Aliter.

Post dissolutionem Mercurij in forti fiat euaporatio ad siccitatem igne violento, in fundo matratij hærebit puluis rubeus præcipitatus vlceribus maximè venereis aptissimus.

Mercurius præcipitatus ex optimis optimus.

Recipe Mercurij purificati vncias iiij. cui affunde olei *sulphuris* rectificati vncias viij. digere per duos dies in arena, deinde per retortam destilla cum tribus cohobijs, vltimò igne violento vt retorta candeat: massam albam exime & tere, aqua destillata calida sæpius ablue donec præcipitatum videas versum in puluerem flauissimum, super quem S.V. ter incendas, ita securè intra corpus dari poterit. Dosis à gr. 3. vel 4. ad *6* in extractis purgantibus, conserua rosarum aut saccharo rosaceo. Valet in infirmitatibus causatis ex humorũ putredine, & morbis deploratis, purificat sanguinẽ, in podagra, Hydrope & omnibus febribus continuis summum est arcanum.

Præcipitatus Diaphoreticus.

Præcipitatur etiam Mercurius in puluerem rubeum cùm amalgamando cum ſole vel luna & per retortam deſtillando ter aut quater, ſingulis vicibus fœces terreas ac fœtentes à calce ſeparando. Ita repurgatum Mercurium diſſolue in aqua forti quam ex matratio colli prolixioris cum alembico proportionato abſtrahi igne tertij gradus cum bina cohobatione vt Mercurius fiat rubeus qui edulcorari debet calcinando in crucibulo inter brunas accenſas continuò virga ferrea mouendo per horæ quadrantem circiter vel cum aqua ſequenti. Recipe Aceti deſtillati libras ij. flegmatis aluminis libram ſemis, calcis reuerberatæ teſtarum ouorum vncias vj. deſtilla ſimul ad ſiccitatem. Huius aquæ Rec. lib. iij. Mercurij ſupradicti præcipitati lib. j. miſce & digere per diem naturalem, poſtea deſtilla per alembicum cum ternis cohobijs ſub finem ignem augendo vt materia probè ſiccetur, quæ circu-

lari debet per diem naturalem cum S. V. poſtea deſtillatione ſeparatur ſpiritus & denuò circulatur & deſtillatur. Hoc quartò repeti debet. Hæc vera Mercurij præcipitati præparatio ad infinitos morbos pellendos & maximè luem veneream, ſiue interiùs ſumatur (quia ita elaboratur ſaltē ſudores prouocat) ſiue exterius cum butyro aut alio medicamento applicetur.

Alia Mercurij Calcinatio & Præcipitatio.

Mercurium à Sole vel luna deſtillatum & purgatum vt ſupra, vel per ſe, vel cum octaua parte Solis vel lunæ ad diuerſos effectus præcipita in puluerem rubeum modo quo ſequitur. Accipe matratium paruum cōlli prolixioris leuiter in fundo lutati cui impone Mercurij vncias iiij. deinde ſuper laminam ferream in fornace arenæ colloca dando ignem continuum ſpacio 40. dierum. Collum matratij ſupra arenam eminere debet at ſex vel octo pollices, & primis decē vel duodecim diebus mercurius

curius qui ad collum matratij ascen-
derit, debet aliquoties in die baculo
ferreo cui alligatus sit, pannus lineus
ad fundum ignitum (vti Geber do-
cet) detrudi & præcipitari. Inde e-
nim nomen præcipitati accepit, nec
hic modernorum est modus præci-
pitandi mercurium, sed antiquo-
rum Philosophorum, Tempori fini-
to si quid mercurij crudi in matra-
tio repertum fuerit separari debet
à puluere rubeo qui admirandas in
medicina habet facultates.

*Præcipitatus Cynnabaris Diapho-
reticus.*

Recipe cynnabaris vulgaris vnci-
am j. salis præparati dragmas ij si-
mul tere, misce & matratio impone,
quibus superfunde olei sulphuris
per campanam facti vncias iij. dige-
re per triduum in cineribus, tandē
igne violento fac omnem humidi-
tatem euaporare, manebit in fundo
massa alba, quæ frequenti ablutione
edulcorari debet. Dosis à gr. 6. ad 10.
in morbis venereis maximè.

Calcinatio Saturni.

Plum-

Plumbum liquefit in matula terrea vel olla ferrea, purgatur à scorijs: deinde aucto igne vt olla candeat continua agitatione cum spatulâ ferrea reducitur in calcem, quæ in mortario tunditur & cribellatur: posteà si diutius reuerberatur fit minium.

Calcinatio Iouis.

Recipe Stanni Anglici non sophisticati (quod ex pōdere & malleatione dignosces) lib. 4. liquefac in olla plani fundi, & à scorijs purga, deinde inijce aliquid salis amonij, postea igne aucto vt olla candeat impone lib. j. & semis salis præparati spatula ferrea tamdiu mouendo donec in calcem redigatur, Quæ igne violento reducitur in corpus & à sale impuro & denigrato separatur. Iterum miscetur cum lib. j. salis præparati & calcinatur vt supra, Calx abluitur ab omni salsedine, & reuerberatur ad octiduum donec vertatur in Alcool. Sal affusione aceti alcalisati elicitur degerendo aliquot diebus, postea filtrando & coagulando.

Iupiter Diaphoreticus.

Recipe Iouis Anglici limati vncias ij. Mercurij ſublimati vncias iiij. ſimul miſce & per retortam deſtilla igne arenæ apponendo vas recipiens aqua ſemiplenum, cumque deſtillare inceperis, da ignem ſuppreſſionis moderatum donec omnis liquor deſtillauerit & præcipitatus fuerit in aqua: Quod autem ad collum retortæ ſublimatur abraditur & cum eo quod diſtillatum eſt digeritur per noctem, aqua ſpiritu *vitrioli* impregnata ſeparatur & ad vſus ſeruatur. Calx frequenti aquæ affuſione & digeſtione dulcoratur & exiccatur. Doſis à gr. iij. ad iiij. Sudores mouet.

Calcinatio Martis.

Limaturam Chalybis à ſordibus ventilatione & ablutione diligēter emunda: Huius Recipe lib. ij. Salis præparati lib. iij. miſſe ſimul & in olla terrea reuerbera per diē naturalē. Maſſam exime & tere, diſſolue in aqua calida & laua toties donec ab omni ſalcedine & terreſtreitate libere-

liberetur, exiccatur deinde & in puluerem ſubtilem terendo & cribellando reducitur, poſtea reuerberatur per 8. vel 10. dies donec ſuperficies eleuetur in crocum rubicundiſſimum impalpabilem, quo ablato, reliqua pars toties & tamdiu reuerberatur, donec tota in crocum abeat. Vas terreum limaturam continẽs habeat coperculum, ne cineres ſuper crocum decidant, ita tamen eleuatum, vt inter vas & coperculum flamma liberum habeat tranſitum.

Alia Martis Calcinatio.

Paratur è lamina Chalybis candẽte & ſcintillãte immiſſa in magdaleonem ſulphuris, cuius vi liqueſcit & decidit in granula in vas fictile ſuppoſitum frigida plenùm. Granula exiccata teruntur in puluerem ſubtiliſſimum, & ſi placet in crocum reuerberantur ſpatio ſex vel octo horarum. Virtutem habet deopilandi, aperiendi, attenuandi.

Aliter.

Diſſolue vnciam j. limaturæ Martis

tis vncijs viij. aquæ fortis, digere per noctem & destilla per alembicũ aquam fortem in arena, habebis vnciam & semis croci rubicundissimi.

Aliter.

Reuerbera limaturam Martis cũ ana sulphuris triti per quatuor, aut quinque horas Virtutem habet a, peritiuam.

Alia Martis Calcinatio.

Digere lento calore limaturam ferri vel chalybis in aceto, ter destillato donec coloretur, decanta quod tinctũ est & aliud acetũ refunde toties donec omnẽ tincturam attraxerit; Depletiones filtratas destilla, & remanebit in fundo puluis rubeus qui per diem naturalem reuerberari debet in crocũ impalpabilem virtutem habet restringendi.

Aliter.

Crocus Martis etiam cum oleo sulphuris fit infundendo in cochlear.

chlear ferreum olei sulphuris & spiritus vini partes æquales euaporando lento calore ad consumptionem humiditatis, postea si resideat ad aliquot dies, inuenies puluerem subtilissimum quē seruabis in phialis optimè clausis, ne aēr intret quia resolueretur. Si aliquot grana in iusculo siue liquore congruo dentur, verum *Hepatis restauratiuum erit,* cōducitq; omnibus morbis qui inde oriuntur vt Hydropisi & similibus.

Calcinatio Veneris.

Dissoluitur in aqua forti & affusione aquæ tepidæ cum particula ferri vel argenti, *præcipitatur in* in calcem ad fundum vasis. Vel laminæ Veneris reuerberantur in æs vstum in fornace figulorum quod facili contritione in calcem reducitur. Vel laminæ ponuntur in crucibulo cum parte æquali sulphuris triti S.S.S. & reuerberantur tribus vel 4. hor. in æs vstum.

Calcinatio Lunæ.

Dissolue Lunam in aqua forti & affusione aquæ salsæ præcipita ad fundum,

fundum matratij in calcem candidã quæ frequenti aquæ communis affusione edulcorari debet & exſiccari. Huius calcis Recipe vnciam j. Salis præparati vncias ij. Salis ammonij dragmas ij. hęc probè miſce in mortario vitreo & reuerbera per octiduum. Elicitur poſtea tinctura cum ſpiritu vini alcoliſato & circulatur ad Maniam & alios cerebri affectus.

Calcinatio Solis.

Fac amalgama Solis per Cementũ repurgati cum ſex partibus Mercu. rij *vt ſequitur.* Accipe aurum laminatum quod in minutas particulas forficibus ſcinde & in crucibulum mundum inter carbones viuos pone vt aurum ſaltem igniatur, deinde ex alio tigillo Mercurium calefactũ ſuper aurum effunde & bacillo miſce vt incorporentur, tum proijce in frigidam & maſſam optimè lotam traijce per corium & Mercurium ſuperfluum exprime vt remaneat maſſa ſatis dura, quæ diu teri debet cum duplo ſui ponderis ſalis præparati in mortario vitreo ita vt nihil

nihil de analgamare appareat. Hoc totum pone in crucibulum coopertum & lutatum paruo saltem foramine peruium & reuerbera per diẽ naturalem tali cautione adhibita vt aurum non liquefcat. Hoc facto reperies aurum spongiosum & valdè attenuatum, mercurium verò cum sale in auras euolasse. Aliqui amalgama cum floribus sulphuris terunt & in crucibulo ponunt inter carbones viuos, bacillo ferreo continuò mouendo, donec Mercurius in auras abeat. Hæ veræ Philosophicæ *præ*parationes ad aurum potabile, & alias operationes *phy*sicas.

Bezoardicum metallicum.

Dissolue in aqua philosophica Solis purissimi drag.ij. cui adde guttatim liquoris gummosi septies rectificati vnciam j. fiet maxima ebullitio, pone matratium super cineres calidos ad tres vel quatuor hor. tũ præcipita in aqua communi & sæpius ablue, vltimo cum aqua cordiali tandem exicca, habebis lapidem admi-

mirandæ virtutis cuius dosis gr. 6. sudores mouet.

Ceraunocryson Diaphoreticum.

Dissolue solem purissimum in aqua philosophica & per noctem digere in arena, deinde superfunde guttatim oleũ tartari donec cesset ebullitio & calx auri ad fundũ vasis præcipitetur, quæ multis ablutionibus edulcorari debet. & igne lentissimo exiccari. Dosis gr. ij. vel iij.

Purgatio Solis per cementum.

Geber ita definit cementum: Est genus examinis metallorum, quod constat ex rebus inflammabilibus, ideò inuentum, vt omnia conbustilia adurerentur, vno solo incombustibili remanente. Quibusnam rebus in cementatione auri vti debeamus non perinde constat apud omnes. Geberus ponit vitriolum, salẽ ammoniacum, æruginem, testas fictiles veteres tritas, sulphuris parum aut nihil, virilem vrinã & similia acria & penetrantia. Pulueres siccos cõmistos irrigat vrina virili & postea

auro

auro cementando admouet. Cemẽtum vulgare ita fit. Recipe farinæ laterum vncias viij. Salis præparati vncias iiij. vitreoli albi vncias ij. Salis petræ, erugenis ana vnciam femis. Aliud cementum quod soli auro probatissimo parcit, vocatur cementum regale. Recipe farinæ lateritię partes quatuor, Salis ammonij, Salis gemmæ, *Salis communis præ-parati* partes singulas, commista vniantur & madefiant vrina. Quidam auri bracteas antequam componantur candefaciunt, sinuntque *refrigescere*, vt si qui *inquinamenti* in cute hæserit, id *consumatur*, & liberiorẽ accessum & impressionẽ relinquat acumini medicaminum. Omnibus ritè paratis ollæ cementatoriæ inspergitur medicamen seu puluis æqualiter crassitie digitali: huic imponuntur bracteæ vrinâ irrigatæ eo ordine & modo, vt æquali situ se non cõtingant mutuo, ne corpus corpori cohærens id accendat, caloreque aucto, oras colliquet. Dispositæ primo ordine bracteæ obruun-
ruun-

rúuntur medicamine dimidij digiti craſſitie, ſequũtur bracteæ atque ita viciſſim, vſque ad ollę marginẽ, quam implere debet tantùm medicamen, quantùm eſt in fundo, nẽpè ad craſſitiem tranſuerſi. Hoc apud Chymicos vocatur facere ſtratum ſuper ſtratum & ſignatur tribus literis S. S. S. vltimò imponitur coperculum ſine reſpiraculo ſi pro cemento vulgari, ſi pro regali, operculum habet foramen paruum. Ignis datur ad 24 horas ita vt olla ſiue pixis ſemper rubeſcat. Finito opere bracteæ pede leporino purgantur à pulueribus adhærentibus & vrina lauantur & exiccantur.

Magiſterium Tartari.

Recipe olei tartari ex ſale reſoluti & purificati vncias iij. ſpiritus vitrioli vnciã j. quẽ guttatim ſuprà tartari oleũ in vitro capaci inſtilla, tunc fiet coagulũ albiſſimũ: humimiditas ſupernatans euocetur, lẽto calore ad ſiccitatem ſalis ſuper

quem destilla ter,vel quater spiritum vini, sic habebis tartarum album vitriolatum fixum. vsus eius in Calculo cum aqua petroselini vel vino albo: sudorem prouocat cum aqua cardui benedicti & omnes obstructiones tollit si offeratur in syrupo rosarum. Remedium est specificum in omnibus morbis tartareis & piliosis. *Dosis à scrupulo j. ad scrupulos ij.*

Magisterium Corallorum & Perlarum cardiacum.

Dissolue Corallos siue perlas *tritas* in aqua valdè acida *facta* cũ spiritu vitrioli, digere per noctem, tum super dissolutionem prius filtratam inijce guttatim oleum Tartari & fiet instar lactis, superfunde aquam communem & digere, sic præcipitabitur puluis candidus ad fundum vasis,aqua separatur & alia superfunditur ter, vel quater donec omnis acrimonia separetur tandem puluis exiccatur & ad vsus seruatur.

Magi-

Magisterium, lac, Cremor seu butirum sulphuris.

Recipe florum sulphuris vnciam j. salis tartari vncias iij. misce & superfunde lib.iij. aquæ communis digere in arena per diem naturalē ita vt sub finem aqua ferè bulliat, postea filtra per cartam emporeticam, & superfunde vncias vj. aceti destillati, vel vini albi, sic cremor lacteus sulphuris paulatim petet fundum. Separabis dissoluens per inclinationem & reiteratis ablutionibus edulcabis materiam: vltimò digeri debet cum aqua cordiali & exiccari, ita habebis lac, siue cremorem sulphuris albissimum. Hoc m edicamēto curantur omnes pulmonum & thoracis affectus.

Aliter

Alio item modo fit lac sulphuris miscendo sulphur tritū cum arena vel vitro tuso ana destillando per retortam igne moderato apponēdo vas recipiēs quod acetū destillatū

contineat: & sic substantia sulphuris destillata præcipitabitur in puluerem album quem exiccabis. Hoc antidoto vtebatut Princeps Auriacus contra pestem.

Aliter lac Sulphuris.

Fit cum sulphure & arena ana miscendo cum aqua *vitæ* & *destil*lãdo in cineribus per retortam, valet ad cancros venereos & vlcera maligna, serpigines lichenes, &c.

Balsamus sulphuris.

Recipe florum sulphuris vncias ij. Olei terebinthinæ vncias iiij. misce & vitrum in arena colloca vt spatio octo horarum lentè bulliat & fiat instar sanguinis, tùm superfunde aquam communem & destilla per alembicum oleum superfluum cum aqua manebit in fundo balsamus sulphuris à quo tincturam per spiritum vini extrahere potes & coagulare, quæ in aqua hysopi vel syrupo liquiritiæ datur à tussi vexatis propter pulmonũ affectus.

Balsa-

Balſamus Saturni.

Deſtilla duas partes aceti impregnati ſale Saturni vt tertia tantùm pars ſuperſit, deinde Recipe vncias iiij. Olei roſati, aceti inpregnati vncias viij. ſimul miſce in mortario æneo & fiet inſtar vnguenti, valet ad inflammationes & podagram calidam. Si idem acetum ſale Saturni impregnatum mixtum fuerit cum æquali parte aquæ communis & applicatum calidè cum lintiolis replicatis ſuper contuſiones, in quacunque parte corporis ſtatim ſedat omnem dolorem.

De Extractis ſiue Tincturis.

Folia roſarum rubearum in minutas partes forſicibus ſcinde, proijce in aquam vitæ, colore poſito poſt tres horas exprime : repone alia in aquam eandem quouſque fiat coloratiſſima : tandem coagula, & ſi vini odorem ferre non potes elue aqua dulci & inſola.

Tinctura roſarum ſiccarum.

Impone vnciam j. roſarum rubearum exiccatarum in pintas duas

aquæ tepidæ quibus adde dragmam j. circiter ſpiritus vitrioli, intra tres vel quatuor horas fiet aqua coloratiſſima quæ filtrari debet, in quam ſi diſſolueris vncias xij. ſacchari, verum Hepatis refrigeratiuum habebis.

Tinctura violarum, florum bugloßi, boraginis & ſimilium fugacium.

Flores contuſi macerētur in propria aqua, vel liquore ſacchari qui fit ex ſaccharo puro clarificato, ſuper quo vini ſpiritus non diu arſerit, & exprimantur, expreſſum coletur frequenter & poſtea ad calorem leuiſſimum coaguletur. Non enim ferre poſſunt acria & colorem intentiorem. Potes eoſdem ad alēbici roſtrum ponere vt propria aqua deſtillata præterlabendo euehat tincturam.

Tinctura lignorum & aromatum.

Scobs lignorum ſiue aromata craſsè tuſa macerentur in vini ſpiritu donec tingatur, coloratum effunde ſpiritum, alio repoſito quoad ſatis

ſetis. Spiritus tin̄cti colentur vel filtrentur & deſtillatione ſuaui coagulentur.

Extractum Rhabarbari.

Rhabarbarum recens minutum conſciſum digere in aqua vitæ communi, donec coloretur, aquam coloratam effunde, & aliā refunde toties, donec totā tincturam remiſerit, depletiones filtra & ad aliquod dies circula, deinde Menſtruum per B. euoca ad duas tertias: interim ſal ex capite mortuo ſecundum artem extrahe & tincturæ impone, tum reliquū humorē deſtilatione blanda euoca donec placeat.

Tinctura Sacchari.

Recipe Sacchari albi pulueriſati librā, j. pone in curcubitā vel matratium cū duobus cochlearibus aceti, deſtillati, digere per ſex horas ſuper cineres calidos; deinde ſuperfunde aquę vite rectificatę vt ſupernatet ad duos digitos, digere donec colloretur, poſtea aquā tinctā effūde aliā & toties effūde donec vlteriꝰ nō coloretur: tū mēſtruū per B. euoca.

ca, tinctura siue essentia rubea manebit in fundo quæ circulari debet cum aquis cordialibus.

Tinctura mellis optima pro Pthisi.

Misceas mel arenis benè mundatis vt fiat quasi massa, superfunde vini spiritum vt emineat duobus digitis digere per 5. vel 6. horas, coloratum spiritum effunde aliumque affunde donec non coloretur amplius: tinctum spiritum filtra & coagula. Hæc tinctura nutrit mirum in modum.

Tinctura Coralli.

Recipe Serraturam quercus, siue scobem iuniperi vel Guaiaci vel particulas buxi, destilla in retorta vsque ad siccitatem, separa postea oleum ab aqua per cartam emporeticam, aquam rectifica in arena super colcotar, aut salem marinum, vel proprios cineres, postea flegma ab acido liquore distillatione blanda separa reseruando saltem tertiam partem aut circiter totius liquoris. In hoc acido infunde corallum pul-

puluerisatum vt liquor ad 3. vel 4. digitos emineat, digere in fimo vel eius vicario ad octiduũ, Quod cùm dissolutum fuerit effunde, & aliud acidum toties refunde, digere & decanta, donec coralli dissoluti fuerint, dissolutiones per cartam emporeticam cola vel filtra & ad siccitatem destilla. Materiæ in fundo vasis relictę affunde optimũ vini spiritum tingetur per digestionem octo dierum instar sanguinis, separa liquorem tinctum à fæcibus alium refunde spiritum, digere & decanta donec omnẽ tincturam extraxeris. Tandem spiritum tinctum filtra & coagula ad syrupi consistentiam, vel siccitatem. Si placet circulabis cum aqua cordiali, vel adde saccharum cum aqua rosacea dissolutum & reduc in syrupum. Dosis pulueris scrupulus j. in iusculo vel aqua appropriata.

Alia Coralli tinctura & Syrupus.

Dissolue corallorum vncias ij in lib. j. succi limonum digerendo per

octiduum, postea filtrando & per albumen oui clarificando vt artis est. In hac tinctura dissolue sacchari albi vncias viij. & digere euaporando ad Syrupi consistentiam. Dosis cochlear vnum in omni fluxu hepatico, Dyssenteria, & fluxu sanguinis.

Tinctura Antimonij.

Fac capitellum ex cinere clauellato, calce viua & cineribus communibus ana. in quod dissolue *Hepar* Antimonij digerendo in arena per noctem vt ferè bulliat, tincturam separa & si placet per acetum præcipita in puluerem croceum.

De quinta Chymicorum Essentia.

Digere vinum generosum per mensem in fimo equino vel eius vicario, postea destilla per cucurbitam altam spiritum in B. quem quater rectificatum, adhuc septies destilla, ita vt ex 40. vini mensuris vnam separes spiritualiorem, nam

quod

quod inter flegma & spiritum destillatur aqua ardens est. Spiritum vase vitreo semipleno probè obturato ne respiret, serua loco frigido. Interim flegma residuum in cucurbita vsque ad mellis liquidi consistentiam destilla; destillatum flegma capiti mortuo redde, & iterum lento balnei calore tres partes aut circiter euoca; cucurbitam exime & pone loco frigido vno aut altero die vt cristallos producat: tum flegma superfunde & misce vt tingatur, tantisper quiescat antequam effundas aliudque refunde toties, donec vlterius tincturam non attrahat: tum cristallos quos in imo vasis reperies probè ab omni sorde elutos & leni calore exiccatos serua. Flegma tinctum destilla ad mellis liquidi consistentiam, si oleum à fæcibus separare volueris destillando per retortam; sin minus, fac in arena euaporare ad siccitatẽ, has fęces tantisper serua. Cristallos superiùs reseruatos subtilissimè in mortario vi-

vitreo tere, ad quorum vnciam j. adde vncias iiij. ſpiritus vini, digere per triduum in B. & per cineres deſtilla augendo ignem ſub finem. Vaſa refrigerato quod in retorta remanſit pondera, tere & cum quadruplo vini ſpiritus miſce digere & deſtilla, toties donec terra, ſuper laminā candentē poſita fumū nō edat. Spiritum proprio ſulphure impregnatum diligenter cuſtodi. Tùm terram anima carentem cum fæcibus ſuperiùs relictis calcina vaſe vitreo lutato, ita vt vitrum non liqueſcat ſpatio 30. hor. cui tritæ & in puluerem redactæ affunde flegma, digere & decanta, etiam tertiò id repetendò, donec inſtar niuis albeſcat. Sale ponderato ſuperfunde in quadruplum ſpiritus animati, digere per triduum in B. deſtilla per cucurbitam ex cineribus augendo ignem ſub finem. Quod fundo cucurbitæ reſtat exime, pondera, digere cum 4. partibus ſpiritus animati & deſtilla, donec totum aſcenderit. Tandem ſpiritum animatum & in corpora-

poratum bis per cineres & postea bis per B. destilla, quem in vase iustæ capacitatis spatio 60. dierum circulabis, separataque Hypostasi quæ circa fundum Pellicani hærebit seruabis. Quintam vini Essentiam ad omnes morbos curabiles curandos, ad omnia metalla reducenda in primam materiam naturæ metallicæ proximam cum conseruatione humidi radicalis. Tali planè modo succi expresſiè Chelidonia, Carduo benedicto & alijs plantis, prius tamen fermentati, possunt reduci in Quintam Essentiam ad omnis generis morbos pellendos. Vas ad huiusmodi Essentias circulandas debet esse Cucurbita altitudine duorum pedum cum dimidio capiens circiter sedecim pintas Parisienses cum matratio colli breuis desuper appropriato capiens 4. vel 5. pintas. Ignis debet esse sine intermissione continuus.

De natura lapidum.

Lapides differunt inter se colore tantùm, nam eorum corpus est aqua congelata fixa. Colores vt plurimum sumunt ex sulphuribus metallorum, ideò etiam metalla conuertuntur in lapides pretiosos, aut cum crystallo rupeo lapidibus fluuiatilibus aspectu lucidis. Hoc habent commune quod calcinentur & resoluantur. Præparatio eorum est resolutio in liquorem, dissolutio & extractio tincturæ. Resoluuntur autē in acidis aquis aceti salis & alijs. Dissoluuntur cum per resolutionem aquarum acidarum totum eorum corpus fit volatile. Tinctura extrahitur in aquis acidis destillatis ex lignis, seminibus, & alijs non fermentatis corporibus. Vel si post resolutionem cum fermentatis acidis & iterum per euaporationē coagulatis, infundas aquam & digeras per aliquot dies, aqua tincturam extrahet. Mercurius lapidum est aqua congelata fixa Sulphur tinctura. Sal per calcinationem extrahitur vt ex calce.

Lau-

Laudanum

Recipe sulphuris Narcotici vncias ij. tincturam cum S. V. per spiritum vitrioli vel sulphuris acido facto extrahe vt artis est, & in vase vitreo mundo serua.

Recipe deinde Opij vnciam j. cuius tincturam vt supra extrahe & cum superiori misce.

Recipe Diambræ vncias ij cuius tincturam cum S. V. iuniperato in B. vaporoso extrahe & ad partem serua.

Recipe Mummiæ vnciam semis cuius tincturam cum S. V. extrahe & cum superioribus misce.

Recipe Croci orientalis vncias ij. tincturã extrahe & cũ alijs misce ponẽdo in loco tepido dieb. quindecim quotidie agitando, quibus finitis S. V. per B. euoca, deinde massæ in fundo remanenti, adde extracti Castorei drag. ij. Tunc Diambræ tincturam cum proprio dissoluente reliquis affunde, stentque in digestione per mensem sæpiùs agitando dùm omnis odor grauis euanescat. Tandem

dem quæ ſequuntur adde. Tincturæ corallorum, Succini pellucidi præparati ana.drag.j.oſſis de corde Cerui ſcrupulum ſemis, Tincturæ auri drag. ſemis, omnibus contuſis & in mortario marmoreo mixtis adde Olei Succini, Macis Cinamomi ana ſcrupulum j. Si pro viris vti volueris adde extracti Moſchi ſcrupulum ſemis: nam communiter mulieribus nocet. Hæc omnia pone in loco calido temperato vt exiccentur ita vt pillulæ inde facilè formari poſſint. Doſis à gr.1. ad 4.

Lutamenta varia.
Pro fornacibus conſtruendis.

Recipe terram pinguem cuiuſcunq; coloris ſit, miſce & ſubige cum arena, fimo equino & aqua ſalſa.

Pro retortis loricandis.

Recipe Argillam figulinam, ſtercus equinum, lotum & exiccatum, farinam laterum & ſquamam ferri miſ-

miſcendo & ſubigendo cum aqua communi.

Pro vitris & hydrijs fractis conſolidandis.

Recipe Boliarmeni, Minij Ceruſſæ ana partes ęquales, reduc in puluerẽ ſubtiliſsimum & cum oleo lini vel vernice liquido tempera.

Lutum Sapientiæ ad ſpiritus ſubtiliſſimos arcendos.

Fac lutum ex calce viua & albumine oui in aquã redacti ſimul miſcendo & citò applicando quia facilè exiccatur.

Pro vitris ſimul lutandis.

Vſus ſum fœliciter vſque in hanc horam veſicis porcinis vel bouinis pro alenbico cum cucurbita lutando, tam in deſtillationibus aquarum quàm ſpirituum acrium & acidorum.

Pro roſtro alembici cum recipiente lutando.

Recipe ceræ vnciam j. Reſinæ Colophoniæ ana, drag. j. liqueſcant ſimul

mul in fictili, quibus adde modicum olei oliuarum miſcendo baculo vt incorporentur, poſtea ollam ab igne remotam imple frigida & ceram manibus ſubige.

Pro retortis cum recipientibus lutandis in deſtillatione ſpirituum acrium.

Lutum pro retortis loricandis ſubige cum aqua ſalſa, vel miſce cum celophonia puluerisata. & applica.

SOLI DEO GLORIA





